



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt VII. Augustinus super a Mattæum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)



## CAPUT V.

<sup>a</sup> Hieronymo *super Mattheum.*

**I**oseph non cognovit Mariam, donec peperit filium suum primogenitum. Ex hoc quidam loco perverissimè suscipiantur & alios filios habuisse Mariam, dicentes primogenitum: cum primogenitus non debeat dici, nisi qui habeat fratres; cum hic mos divinarum sit Scripturarum, ut primogenitum non eum vocent, quem fratres sequantur; sed eum, qui primò natus sit.

NOTÆ.

<sup>a</sup> *In eodem.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* idest D. Hieronymus

*id eodem cap. 1. Matthæi.* Priora illa verba, *Ioseph non cognovit, peperit filium suum primogenitum,* sunt D. Matthæi; cætera verò D. Hieronymi exponentis verbum illud *Primogenitum.*

## CAPUT VI.

<sup>a</sup> Hilarius.

**I**ntelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.

NOTÆ.

<sup>a</sup> **H**ilarius.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus floruit per annos 355. & quamvis jam provectæ ætatis baptizatus fuisset, tamen brevi in ecclesiastica doctrina ita profecit, ut Doctor Maximus, & ecclesiæ Catholicæ columna merito habitus sit. Scripsit varia opera quæ refert Bellarminus *de Scriptor. Ecclesiast. d. anno 355.* & scripsit de Trinitate, ubi *lib. 4.* reperiuntur verba in præsentî à Raymundo transcripta, quæ ut facilius intelligantur, altiùs reperenda sunt. Ait Hilarius: *Sequamur ergo adversus irreligiosas, & impias adeo institutiones, ipsas illas divinorum dictorum auctoritates. & unumquemque eo ipso, de quo queritur, auctor em tractabimus, non ad fallendam audientium imperitiam, & malè imbuendam, quasdam verborum enunciationes, sub-*

*tractis eorum causis, coaptantes. Intelligentia enim dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus. Quæ ultima verba compilavit Raymundus in præsentî, quia canones propriam habent verborum significationem, quam ex causis ipsis, & rebus depromo; ideo non tam proprietas, quàm sensus plerumque attenditur. Exempla extant in cap. secundo 41. de appellat. cap. ex literis, de sponsal. cap. ad audientiam, de decimis. Quod de jure civili plerumque admittitur, siquidem tuendæ voluntatis gratiâ, ut captio omnis viteretur, verba ipsa contra propriam significationem accipiuntur, ut in l. ex conducto 15. §. Papi-nianus, ff. locati. l. 13. ff. de excusat. tutor. Plura & ambiguo sermone congesserunt Petrus Faber, & Iacobus Gothofredus in l. in ambiguis, ff. de R. l. Doctor Leon. in l. Paulus, ff. de rebus dubiis, D. Josephus de Retes lib. 7. opuscul. cap. 3. numer. 21.*

## CAPUT VII.

Augustinus *super* <sup>a</sup> *Mattheum.*

**N**ihil obstat narrandi diversitas, ubi eadem dicuntur, maximè cum quisque Evangelistarum eo ordine credat se dicere, quo Deus voluit.

NOTÆ.

<sup>a</sup> *In Mattheum.*] Ita etiam legitur in prima

collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* ubi notat Ant. Aug. verba hæc forsan transcripta fuisse ex D. Augustino *de consensu Evangelist. lib. 2. cap. 12. 21. & 28.*

## CAPUT VIII.

<sup>a</sup> Gregorius.

**A**d explendum affectum meum, fateor, lingua non sufficit: sed quidquid de vobis sentio, vester vobis melius affectus dicit. Quibusdam verò vos adversitatibus laborare audiivi. Sed non hac de re valde contristor, quia plerumque navis, quæ pervenire ad altas pelagi tempestates per prosperitatem poterat, in ipso navigationis initio vento adversante repellitur, sed ad portum repulsa revocatur. Propterea si proli-

Fff 4

xam